

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacræ Regiæ Majestatis
Borussicæ Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus
Status Et Rei Bellicæ, Ordinis Nigræ Aquilæ Equitis Etc.
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

Cocceji, Samuel von

Lipsiæ, 1766

LIB. XIII. TIT. I. De Conditione Furtiva.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9044

CONDICTIONE SINE CAUSA

Qv. I. Quotuplex sit haec conditio sine causa?

RESP. Duplex (I) *Generalis*, quæ cum prioribus concurrat, quia *Laut. pag. 208. verb. Hinc concurrat &c.* in omnibus deficit iusta causa, & deficiente causa deficit jus. (II) *Specialis*, quæ toties, quoties nulla priorum locum habere potest, in subsidium datur: Uti (I) si causa, quæ initio erat, postea casu aliquo deficit esse. *L. 2. h. l. 2. C. h. l. 11. §. 6. Et f. de Act. emt.* (2) Si debitor rei culpa sua amissæ pretium solvit, re postea inventa, conditio datur. *L. 2. h.* (3) Vi possessione dejectus rem repetit condictione sine causa. *L. 25. §. 1. furt.* (4) Instrumentum quod soluto debito penes creditorem sine causa manet, condicitur. *L. 2. C. h.* (5) Si quis rem alienam bona fide consumsit, condicitur pretium. *L. 11. §. 1. seq. Reb. Cred.* (6) Si annulus archæ nomine datus, & pretio ac re solutis, retentus sit, datur conditio sine causa. *L. 11. §. 6. act. Emt. etc.*

LIB. XIII. TIT. I.

DE

CONDICTIONE FURTIVA.

Qv. I. Anne haec sit ipsa conditio ob turpem causam?

AFFIRM. Sed, quia singularia quædam habet, seorsim tractatur. Singularia autem sunt (1) quod semper sit turpitudine accipientis, indeque semper detur conditio, cum conditio ob turpem causam aliquando cesset, si scilicet utriusque est turpitudine. (2) Quod detur ei, qui dominus est: Quod rationi condictionum maxime adversatur; nam per conditionem juris Gentium intendo *dari oportere*, id est, ut dominium in me transferatur: In hac conditionis specie autem nunquam amisi dominium, indeque dari mihi non potest, quod meum adhuc est, neque enim tunc conditio

Cocc. J. C. P. I. Rrrr da-

datur, sed rei vindicatio: At ne is, cui fur rem abstulit, adeoque qui rei dominus manet, deterioris sit conditionis, ac is, qui facto suo rem sine iusta causa in alium transfudit, indeque dominus esse desit, Jcti formulam conditionis juris Gentium *dari oportere*, ex summa æquitate in odium furis ad hunc casum applicarunt: hoc ergo est mere juris Civilis, quo aliquid juri Gentium additur.

Deterior autem esset conditio (1) quia conditiones tanquam personales actiones dantur contra hæredes: Secus si sola rei vindicatio contra furem locum haberet. §. *fin. Inst. de furt.* (2) Conditiones dantur, licet res consumpta, alienata, vel specificatione extincta sit: At rei vindicatio tantum datur re extante. &c.

Qv. II. *An conditio furtiva sit famosa?*

Laut. pag. 209. verb. Non famosa &c. **N**EG. Quia conditiones jure Gentium dantur pro rei repetitione, quæ repetitio per se, nisi accedat dispositio juris civilis, non infamat: Conditio furtiva autem datur ad exemplum earum conditionum. Conf. sup. tit. 4. q. 2. in f.

Atqui furti damnatur.

RESP. Per consequens supponitur fur esse, sed hac actione non de delicto, sed rei persecutione agitur.

INSTO, mandati &c. damnatus fit infamis.

RESP. Ibi propter fidem violatam fit infamis, quæ ratio hic cessat: Conf. sup. de his qui not. inf. q. 4.

Qv. III. *An illi quoque condicere possint, qui proprio facto domini esse desierunt?*

Laut. pag. 209. verb. Hinc excluduntur qui proprio facto &c. **N**EG. Quia repetere non possunt, quod ipsi jussu transtulerunt in alium. *L. 10. §. 2. h.* Secus vero si sine facto suo dominio exciderunt, forte quod fur consumserit, vel specificatione res mutata sit, &c. *L. 12. pr. h.* quia eo magis tunc succurrendum ipsis est ut suum recipiant. Vid. q. 1.

&c.

Laut. pag. 210. verb. Incerti datur etiam non dominis &c. Qv. IV. *An conditio furtiva incerti in eo differat a conditione certi, quod hæc solis dominis, illa vero aliis, qui jus in re habent, detur?*

RESP. Immo in genere conditio sive incerti, sive certi, datur soli domino. *L. 1. h. l. 14. §. 16. h.* Sed ei comparatur, qui habet jus



jus dominio simile, uti pignus, quod & ipsum in re illa quæ condicitur, consistit. Adeoque creditor, tanquam dominus possessionis, jus pignoris & possessionem condicit: In eo autem differunt: Quod conditio furtiva certi tantum locum habeat, si pecunia numerata condicitur; incerti vero, si quælibet alia res, possessio, liberatio &c. *Vid. tit. de Cond. trit. q. 1.*

Neutra ergo fructuario datur, quia nec in rem ipsam jus habet, nec fructuum, quos fur decerpit, ante perceptionem dominus est. *L. 12. §. 2. de Usufr.*

Qv. V. *An etiam commodatario conditio furtiva detur?*

NEG. Per *L. 14. §. 16. & l. 1. h. t.* Ubi tantum domino dari dicitur; cur vero ad creditorem pignoratitium id extendatur, rationem dedimus *quæst. præc. sane cum fructuario non detur, d. l. 12. §. 2. de Usufr.* multo minus dabitur commodatario. Nihilque ineptius esset, quam commodatarium, cui solus usus concessus est, rem condicere posse, & commoda hujus actionis auferri domino, præferrique commodatarium in actione pinguiori. *Dissent. Laut. pag. 210. verb. ut commodatario &c.*

OBJ. *L. f. §. 3. C. furt.*

RESP. Agit de commodatario, qui præstitit litis æstimationem domino, adeoque rei dominus quasi ex emto, factus est. *d. l. f. §. 2. L. 46. R. V.*

Qv. VI. *An conditio furtiva contra hæredes detur in solidum?*

AFFIRM. (1) Quia est actio civilis ex delicto rei persecutoria. *Laut. pag. Vid. B. Par. in Disp. de Obl. hæer. ex del. def. Sect. 2. §. 10. & Sect. 3. §. 21. quales in solidum dantur contra hæredes. §. 9. Inst. ad L. contra Aquil. dist. Disp. th. 5. n. 5. th. 10. & th. 21.* Nam (2) defunctus ex patrimonio suo debebat restituere id quod domino suo facto abest; hæc obligatio cum patrimonio transit ad hæredes. *dist. disp. §. 5. §. 20. n. 2. §. 23. pr.* Atque id (3) expresse dicitur in *L. 9. ff. cond. furt.* In conditione ex causa furtiva non pro parte, quæ pervenit, sed in solidum tenemur, dum soli hæredes sumus: Quæ sententia etiam ipsorum Dissidentium confessione in praxi obtinet. *Pagenst. 1. sicil. n. 30. & Disp. de J. mort. 1. §. 6. ita duo præjudicia sunt apud Bach. de act.*

R r r r 2

D. 4.



D. 4. th. 21. & Harppr. ad §. f. Inst. de Obl. quae ex del. n. 5. & seq. Conf. Struv. h. th. 54. ibique late Dd. Farinat. pract. crim. l. 1. tit. de inquis. q. 10. n. 72. & Müll. ad Struv. d. l. lit. e. Zoef. h. n. 8. Laut. h. pag. 210. ibique Dd.

DISSENTIT Cuj. *L. 7. Obs. c. 37. & L. 13. c. 27. & alii apud Struv. d. l.*

OBJ. (1) *L. fin. C. rer. amot.* Ubi actio rerum amotarum contra hæredes uxoris datur tantum quatenus pervenit, at actio rerum amotarum semper comparatur conditioni furtivæ, ut in *l. 6. §. 4. l. 21. §. p. l. 26. Eod.*

RESP. Comparari in eo, quod actio hæc ex furto uxoris datur non instar actionis furti, sed instar conditionis furtivæ, non vero quasi per omnia sint similes, *dict. Disp. de Obl. hæc. ex del. th. 20. n. 2.* Ratio autem differentiæ in eo est, quod illa sit prætoriana, *l. 2. C. rer. am. & dolum uxoris puniat*: Tales autem actiones prætorianæ sunt pœnales, & non dantur contra hæredes nisi quatenus pervenit, per *l. 9. §. f. de reb. aut. jud. junct. l. 11. Eod. Vid. dict. Disp. th. 11. n. 1.*

OBJ. (2) *L. 2. §. f. Vi bon. rapt.*

RESP. Loquitur de actione vi bonorum raptorum, quæ est prætoriana, & mere pœnalis, *l. 2. §. 27. Eod.* indeque non datur contra hæredes nisi quatenus pervenit.

OBJ. (3) *L. 9. §. f. l. 10. tut. & rat.* Ubi dicitur quod actio damni, injuriæ, conditio &c. morte tutoris intereant.

RESP. Imo id non dicitur: Sed dicitur pupillum contra tutorem stante tutela nulla illarum actione agere posse, quamvis (*quaedam*) morte tutoris intereant, at non omnes intereunt, uti nec conditio.

OBJ. (4) *L. 44. R. §.* Ubi hæres non tenetur ex pœna defuncti nisi quatenus pervenit.

RESP. Verum hoc est, si actiones sint mere pœnales, etiam a parte actoris.

OBJ. (5) *L. un. C. de Obl. quae ex del. def.* Ubi nullæ actiones ex delicto transeunt ad hæredes, nisi lite contestata.

RESP. Regula hæc recte se habet, sed patitur ea exceptionem si (1) sint ex delicto rei persecutoria: Vel (2) mere pœnales. *dict. Sect. 1. 2. & 3.*

OBJ. (6) *Æquitas contrariæ sententiæ.*

RESP. Imo æquitas naturalis militat pro nostra sententia. *Vid. rat. 2. & dict. Disp. th. 5. 20. & th. 23.*

Qv.



Qv. VII. *An actio haec detur contra successores singulares?*

NEG. Actiones enim personales contra haeredes quidem dantur, *l. Laut. pag. 211. verb.*
25. pr. O. A. qui succedunt in universum jus defuncti, at non
 contra successores singulares. Conf. *L. 5. h.*

OBJ. §. 26. *in fin. Inst. de Rer. div.* Ubi dicitur dari conditionem contra quosvis possessores: *Contra successores singulares &c.*

RESP. Scilicet qui consuntione domini facti sunt; nam quia eo facto suam rem negotiumque fecere, actione ad exhibendum vel conditione conveniuntur.

Qv. VIII. *An re non exstante actio haec detur, quanti res plurimi fuit a tempore furti commisi?*

AFFIRM. *L. 8. §. 1. ibi: placet tamen id tempus spectandum, quo* *Laut. pag. 211. verb.*
res unquam plurimi fuit, maxime cum deteriore rem factam fur
dando non liberetur: semper enim moram fur facere videtur, h. t.

OBJ. *L. 2. §. 3. ff. Priv. del. ibi: conditio autem furtiva non egr-* *Quanti res plurimi fuit &c.*
ditur retrorsum iudicii accipiendi tempus.

RESP. Tempus iudicii accipiendi non est, ubi actu accipitur, sed ubi iure accipi potuit; potuit autem accipi statim a tempore delicti commisi. Ita enim in iure futurum hoc saepius intelligitur pro presenti.

Atque haec est sententia *Cuj. tr. 8. ad Afric. L. 37. Mand. in f. Treutl. h. §. 13. lit. g.* ubi notat etiam concurrere cum hac conditione actionem ex lege Aquilia, si forte retro in anno pluris fuit. *d. l. 2. §. 3. Priv. del.*

Qv. IX. *An consuetudo, quae rem furtivam magistratui addicit, sit irrationalis?*

AFFIRM. Et non tantum in allegata Ord. Crim. sed & in adducto *Laut. pag. 211. verb.*
 recessu imperii talis consuetudo rejicitur.

OBJ. *L. 9. ff. de fur. fisco. ibi: morte reae crimine extincto persecu-* *Consuetudo qua rem &c.*
tionem eorum, quae scelere acquisita prociari possunt, fisco competere.

RESP. Agitur ibi de crimine publico, non vero de privata & civili actione, uti hic.



CONDICTIONE EX LEGE.

Qv. I. Quid sit *condictio ex lege*, quid *imploratio officii judicis*?

RESP. *Condictio ex lege* est, quando nova lege aliquid statuitur, nec actio additur: tunc enim, cum genus actionis quo experiendum expressum non sit, jus nostrum ex illa lege *condicimus*.

Imploratio officii judicis est vox generalis, & competit ex omni juris remedio: Quoties enim jus aliquod ex lege mihi competit, sive actio addita ei sit sive non, possum implorare officium judicis, ut jus & justitiam juxta naturam vel actionis, vel legis, quæ de jure illo statuit, administret: Unde ipsa *condictio ex lege* per modum implorationis in judicio proponi, & pars judicis officium implorare potest, ut juxta legem noviter constitutam jus tribuat.

Atque hinc (1) Autor male opponit *obligationem & implorationem officii judicis*: Nam omnis lex producit *obligationem*, & omnis *imploratio judicis* supponit *obligationem*. Quod igitur (2) ex *L. diffamar. 5. C. de ingen. Et Manum.* non detur *condictio ex lege*, hoc inde est, quia non nova *obligatio* ea lege *introducitur*, sed ea, quæ antea fuit, saltem *declarata* est. Vid. *supr. L. 5. tit. 1. q. 4. Not. e.* Unde (3) verum non est ex mente legislatoris *dijudicandum esse*, an *Lex obligationem* *introducatur*, an vero tantum *implorationem officii judicis* concedat: quia *posita lege*, semper *obligatio* *introducitur*, & *introducitur obligatio* semper *implorari officium judicis* potest, ut juxta legem *statutam* *judicet*.

CONDICTIONE TRITICIARIA.

Qv. I. Quid sit *condictio Triticiaria*?

RESP.

